REGIA SENTENTIA

LATA CVM VOTIS SACRI
Supremi Regij Aragonum Consilij, ad
relationem Nobilis Don Ioannis Chry-
sostomi Berenguer, & Morales, iam-
diu in Regia Audientia Se-
natoris dignissimi.

IN CAVSA


MISSIONIS IN POSSESSIONEM STATVS
de Sinarques, & Chelva.

IN FAVOREM

EGREGII DON FRANCISCO LADRO
de Vilanova.

CONTRA

NOBILEM DOMNAM MARIAMANNAM
Ladrò, & Silva, & alios.



VALENTIÆ,
Typis Hieronymi Vilagrasa, iuxta molendinũm de Rovella:
Anno M. DC. LXVI.

Xps. ATTENTO ex meritis processus, & signanter ex capitulis matrimonialibus initis, & firmais per, & inter Don Petrum Ladrò Vicecomitem primum de Vilanova, & Don Raymundum Ladrò eius filium ex vna, & Domnam Elviram de Pllars ex altera partibus, occasione matrimonij contrahendi inter dictos Don Raymundum, & Domnam Elviram apud Bernardũ Ferrer Not. publicum diversis in locis, vbi contrahentes degebant, quorum firma prima fuit dictæ domnæ Elviræ in Villa Tarrega Principatus Cathaloniæ, die vigesimo Maij anni 1412. constat, dictum don Petrum Ladrò Vicecomitem de Vilanova, contemplatione dicti matrimonij, & post obitum sui, donasse dicto don Raymundo eius filio, & suis perpetuo totam vallem, rivum, Villas, & Castra de Chelva, videlicet, Loriguilla, Domeño, Calles, Benaxuay cum suis revallis, Vsera, Tueja, Benaxeb, Castrum de la Sagra, & Villas de Sinarques, & de Mançanera, cum omnibus suis terminis, iurisdictionibus, & pertinentijs, modo quo dictus Vicecomes illa tunc, & antea possidebat, cum tamen pacto, & vinculo, inter alias expresso, quòd si dictus Raymundus Ladró de Vilanova decederet quandocumq; relictis filijs legitimis, & naturalibus ex dicto matrimonio procreandis, quod dicta bona venirent ad filium masculum primogenitum dicti matrimonij, illoque quandocumque sine filijs ex legitimo matrimonio procreatis decedentè, quod dicta bona donata reverterentur ad alterum filium masculum eiusdem matrimonij, & sic de vno filio masculo ad alterum, vsque ad vltimum ex dicto matrimonio superviventem; & casu quo dictus filius masculus primogenitus dicti matrimonij decederet cum filijs masculis ex legitimo matrimonio procreatis, quod dicta bona devenirent ad illius filium primogenitum masculum; & illo sub dicta forma defuncto, ad alterum superviventem, & sic de vno in alterum vsque ad vltimum superviventem de linea masculina: & decedentibus dictis filijs masculis dicti primi filij dicti don Raymundi sub dicta forma, quod dicta bona donata reverterentur ad filiũ primogenitum secundi filij, nepotem dicti don Raymundi Ladrò, illoque sub simili forma decedentè, reverterentur ad alium filium masculum, & sic de alijs filijs filiorum masculorum descendentium ex illis per lineam masculinam. Quâ sic, vt prædicitur, deficiente, ita vt nulli descendentes masculi ex dicto don Raymundo Ladró remanerent, disposuit, & præcepit, quod dicta bona donata, quandocumq; dicto Vicecomiti placuerit de illis disponere in suo vltimo testamẽto, ponerentur, reverterentur, & converterẽtur ad vincula,

 &

continenda, et ordinanda

& legata n suo dicto vltimo testamento ~~contentura, & ordinatu-ta~~, sicut in dicto suo vltimo testamento extiterit ordinatum, & declaratum ad litteram. Constat etiam dictum don Petrum Ladró Vicecomitem de Vilanova donatorem, in, & cum suo vltimo testamento recepto per Bartholomeum de Villarubea Not. publicum in Vill. de Mançanera Regni Aragonũ die tertia Octobris anni 1408. & post illius obitum publicato in Ecclesia Castri Chelvæ per eundem Notarium die 21. Octobris anni 1419. vna cum codicillo dicti testatoris recepto per eundem Villarubea in Villa Chelvæ die quinta Septembris anni 1415. (de quo tamen non apparet) instituisse hæredem vsufructuariam de tempore vitæ suæ Nobilẽ Violantem Boil de omnibus bonis suis, & post illius obitum instituisse hæredem vniversalem Nobilem Raymundum de Vilanova, dicti Vicecomitis filium primogenitum, sub conditione, quod ille, ac eius descendentes legitimi, & naturales tenerentur sumere titulum dicti Vicecomitatus, ac nomen, & arma de Ladró, cum quamplurimis vinculis, conditionibus, & substitutionibus, & præcipuè, quòd decedente dicto Raymundo primogenito, in dicta hæreditate, & bonis succederet illius filius primogenitus masculus cum eadem obligatione sumendi titulum nomen, & arma prædicta, sic, & quem admodum de dicto Raymundo primogenito suo disposuerat, & decedente primo filio Raymundi succederet alius, & de cætero de vno in alium vsque ad vltimum sub eisdem conditionibus, & cum prohibitione alienationis expressa, & sub obligatione quòd dictus Raymundus, & eius descendentes masculi tenerentur donare Petro Ladró testatoris filio decem millia florenorum auri Aragonũ, & etiam quod si dictus Raymundus filius primogenitus, & sic descendentes masculi decederent sine filijs de legitimo matrimonio procreatis, dicta hæreditas, & bona devenirent, cum conditionibus prædictis, & in dicto testamento contentis, ad dictum D. Petrum Ladró eius filium, filios, & descendentes illius gradatim, ac etiam sub conditione, quòd teneretur donare filiæ primo natæ Raymũdi, si exstiterit, quinquaginta millia solidos monetæ Iaccensis ad opus sui matrimonij, & illa matrimonium non contrahente, vel sine filijs decedente, secundo natæ, & sic de vna in aliam vsq; ad vltimam, & etiam, quod si dictus Petrus Ladró, & filij, & descendentes illius decederent, in tali casu substituit hæredes suos vniversales filios masculos filiarum dicti Raymundi de vno in aliũ, & istis deficientibus, filios masculos filiarum dicti Petri Ladró, prout latius in dicto testamento continetur, ad quod habeatur relatio. Attento etiã constat ex diversis, & quamplurimis instrumentis exhibitis, testibusque

...mento de D. ...ro Ladron, Viz...dor en 3. de ...bre. 1408. ...licado en ...tre 1419. ...e codicilo, fe... en 5. de sete. 1415.

uſque miniſtratis, poſt obitum dicti quondam don Petri Ladrò Vicecomitis de Vilanova donatoris, & teſtatoris prædicti, dictum Vicecomitatum, & bona in dicta donatione contenta poſſediſſe dictum don Raymundum Ladró eius filium primogenitum, & poſt huius obitum, deſcendentes maſculos per lineam maſculinam legitimos, & naturales dicti Raymundi, excluſis fœminis proximioribus, vſque ad obitum Egregij don Gaſparis Ladrò, & Velaſco Comitis de Sinarques, & Vicecomitis de Vilanova, ſeu de Chelva, huncque deceſſiſſe die vigeſima ſeptima Februarij anni 1655. nullis relictis filijs, nec deſcendentibus maſculis, ſed duabus tantum filiabus, Domna Marianna ſcilicet primogenita, & Domna Lucretia ſecundogenita, ex Illuſtri Domna Maria de Silva eius legitima coniuge, nunc Duciſſa de Villahermoſa, nec alium extare maſculum deſcendentem ex dicto don Petro Ladró primo Vicecomite de Vilanova per lineam maſculinam legitimam, & naturalem dicti don Raymundi Ladrò eius filij primogeniti, ſed ſolum don Franciſcum Ladrò de Vilanova ex dō Petro Ladrò Boil eius filio ſecundogenito, fratreque dicti don Raymundi. Attento etiam conſtat dictum don Franciſcum Ladrò de Vilanova dicta die 27. Februarij, qua dictus Comes vltimus de Sinarques, & Vicecomes de Vilanova deceſsit, nomine ſuo proprio, & deinde die 16. Iunij eiuſdem anni 1655. per mediam perſonam Hieronymi Molina eius procuratoris comparuiſſe in hac Regia Audientia, expoſuiſſeque in vim dictorum donationis, & teſtamenti, per obitum dicti Comitis don Gaſparis Ladró de Velaſco ſine filijs maſculis, fuiſſe apertum fideicommiſſum in dictis donatione, & teſtamento contentum in ſui favorem, indeque ſupplicaſſe fore mittendum in veram, realem, & actualem poſſeſsionem dictarum Villarum de Chelva, Sinarques, Tuexa, & Locorum de Domeño, Loriguilla, Calles, Benaxuay, & Benaxeb, & cæterorum Caſtrorum & bonorum, quæ fuerunt dicti quondam Petri Ladrò primi Vicecomitis, vna cum vniverſis iuribus, & pertinentijs, ac titulis, honoribus, & præheminentijs Comitis, & Vicecomitis reſpectivè de Sinarques, & Chelva, ac vna cum fructibus perceptis, & percipiendis à die obitus dicti Comitis don Gaſparis, intentando ad hunc effectum remedium fori quadrageſimi primi rub. de teſtamentis, & aliás, illud, quod de iure competit quibuſcumque ſucceſſoribus in bonis vinculatis, & fideicommiſſo ſubiectis, fuiſſeque dictam cauſam ad hanc dictam Regiam Audientiam evocatam, proviſaſq; ac expeditas litteras citatorias, illaſque notificatas Illuſtri Domnæ Mariæ de Silva nunc Duciſſæ de Villahermoſa, viduæ dicti Comitis de

Sinar-

Sinarques vltimo defuncti, & curatrici filiarum suarum, & dicti Egregij Comitis don Gasparis, & Egregiæ Comitissæ Domnæ Mariannæ de Velasco, & Ibarra, si sua putaverit interesse, in Villa Matriti diebus nona, & 25. Octobris, anni 1655. & exinde fuisse litem vsq; ad præsens prosequutam. Et licet pro parte dictæ Illustris Domnæ Mariæ de Silva tutricis, & curatricis dictæ Domnæ Mariannæ, & Dõnæ Lucretiæ filiarum suarum respectivè sit prætensum, immissionem possessionis in dictis bonis esse denegãdam dicto don Francisco Ladrò de Vilanova, immò esse dictæ domnæ Mariannæ Ladrò, & Silva concedendam, & seu in illa manutenendam, ex pluribus, & signanter, quia ipsa erat filia primogenita dictiquondam Don Gasparis vltimi Comitis de Sinarques, & Viccecomitis de Vilanova, seu de Chelva, & habebat intentionẽ suam de iure fundatam, cum in dubio dictum fideicommissum, seu maioratum esset regulare præsumendum, in quo admittitur filia vltimi possessoris, excluso agnato gradus, & lineæ vlterioris: & eo præmaximẽ quòd omnes vocationes factę per dictũ dõ Petrum Ladró primum Vicecomitem de Vilanova de filijs, & descendentibus masculis don Raymundi eius filij primogeniti in dicta donatione erant extinctæ, cum non fuerit digressus ad alias vocationes descendentium masculorum don Petri Ladró Boil eius filij secundi, à quo descendere prætendebat dictus don Franciscus de Vilanova, necessarioque fatendum esse, vel quod bona remanserunt libera in vltimo descendente masculo per lineam masculinã dicti don Raymundi, vel continuato fideicommisso, & maioratu assumpsisse naturam regularis, fœminasq; in illo esse admittendas: Nec sufficere quod haberet (vt prætendebat don Franciscus Ladró de Vilanova) vocationem expressam in præcalendato testamento in defectũ masculorum descendentiũ per lineam masculinam dicti don Raymundi, filiosque, & descendentes fœminarum masculos, quod fortius erat, solum fuisse vocatos in defectum filiorum descẽdentium masculorum dictorum don Raymundi, & don Petri, dicti don Petri Ladrò primi Vicecomitis de Vilanova filiorum; quia contra dictum testamentum opponebatur, non fuisse exhibitum illius originale, nec transumptum iuxta iuris, & fori Regni Valentiæ formam extractum, sed tantum copiam sumptam ex quodam transumpto registrato in quinta manu duplicata regestri, seu libri mandatorum, & empararum Curiæ Gubernationis præsentis Civitatis sub die vigesimaprima mẽsis Novẽbris anni Millesimiquingẽtesimi quinti, vbi asseritur, dictũ transumptũ fuisse sumptum ab originali dicti testamenti per Vincentiũ Camarasa Not. cum authoritate, ac

decre-

decreto Iustitię Civilis pñtis Civitatis die 10. Decēbris anni 1454. quam copiam in præsenti saltem iudicio nō esse in forma probanti, imò, & suspectam, dicebatur ex plurimis suprapositis, lineatis, vacuis, alijsq; defectibus in regestro illius adinventis, ac alijs obiectis circa dictæ registrationis observantiam, & stilum oppositis, quæ saltem iustitiam dicti don Francisci Ladrò de Vilanova turbidam, & requirentem altiorem indaginem reddebant, quod erat sufficiens, ne in hoc iudicio obtinere posset; imó, & casu quo esset in forma probanti, non erat illud testamentū, ad quod dictus don Petrus Ladrò primus Vilanovæ Vicecomes in prædicta donatione se retulit, tanquám dictæ donationi anterius: cum tamen dictus Vicecomes in defectum filiorum, & descendentiū masculorū dicti don Raymundi eius filij primogeniti, ex vi verborū in dicta donatione contentorum, de quibus supra, disposuerit, quod dicta bona donata venirent ad vincula, & legata in testamento per illum post dictam donationem ordinando, de quo, nec de codicillis ab illo postea factis non constabat: similiterq; dictam curatricē nomine filiarum suarū hęredum ab intestato dicti don Gasparis vltimi Comitis earū patris petijsse retentionem dictorum bonorum pro diversis meliorationibus, creditis, & iuribus in dictis bonis dictis minoribus competentibus, ac alijs meliorationibus factis per Comitissam domnam Mariannam de Velasco, & Ibarra, pro quibus etiam iure proprio se opposuit: Ac deniq; eidem liti immissionis in possessionē se opposuisse Egregios Comitem de Sellent, Marchionē de Taracena, & Comitem del Real, & Villamonte tanquā descendentes á dicto quondam don Raymundo Ladrò filio primogenito dicti quondam dō Petri Ladrò primi Vicecomitis de Vilanova. Quia tamen ex his, quæ sunt deducta, & probata in hoc iudicio, & processu fundavit suam intentionem per probationes non requirentes altiorem indaginem, intra instantiæ terminum, dictus don Franciscus Ladrò de Vilanova, cuius intentio, ex in oppositum adductis, non fuit in aliquo elisa: constat enim, dictum testamenti transumptū fuisse legitimè confectum, & secundum observantiā, & stylum præsentis Civitatis Valentiæ, vbi alia instrumenta originalia, & transumpta, seu exempla registrantur, ne fides illorum pereat, vnicaq; manu cum suprapositis esse conscriptum, lineataq; & vacua non existere in parte illius substantiali, nec debitum sensum mutare, vnde resultat esse in forma probanti, eidem q; omnimodam fidem fore adhibendam. Nec constat, ex vi verborum in donatione prædicta contentorum, dictum don Petrum Ladrò primum Vicecomitem de Vilanova se restrinxisse ad testamentum post dictam donationem ordinaturum, sed ad vltimum, quan documq; per illum confectum, vnde verificatur eius voluntas in antea ordinato, sub cuius voluntate non revocata decedere voluisse præsumendū est: Nec credita, melioramenta, & alia iura per dictam Egregiam Comitissam domnam Mariannam de Velasco, & Ibarra, & Illustrem domnā

Mariam

Mariam de Silva nunc Ducissam de Villahermosa dicto tutorio, & curatorio nomine sunt ita iustificata, vt æquare possint valorem fructuum lite pendente perceptorum per curatores dictæ domnæ Mariæ Ladrò, & Silva, cum quibus sunt computanda: Nec dicti Comes de Sellent, Marchio de Taracena, & Comes del Real, & Villamonte huic liti se opposuerunt tanquam descendentes masculi ex linea masculina dicti quondam don Raymundi filij primogeniti dicti quondam don Petri Ladrò Vicecomitis primi de Vilanova, sed tanquam ab illo descēdentes ex fœminis, quibus præferendus est don Franciscus Ladrò de Vilanova tanquā descendens masculus ex linea masculina legitima, & naturali don Petri Ladrò Boil filij secundogeniti eiusdem primi, & sæpe dicti Vicecomitis de Vilanova don Petri Ladró, vigore dicti testamenti, quo iuvare se volunt dicti oppositores. His igitur, & alijs meritis processus attentis, & aliás deliberationem, & conclusionem in Sacro Supremo Regio Aragonum Consilio, cum interventu Magnificorum Associatorum sumptam, Nobisque transmissam insequendo, Pronuntiamus, sententiamus, & declaramus instantiam factam per Nobilem Franciscum Ladrò de Vilanova procedere, & de iure locum habere, consequenterq; fore immitendum in possessionem Comitatus de Sinarques, & Vicecomitatus de Vilanova, aliás de Chelva, Villarum, & locorum in illis comprehensorum, videlicet de Sinarques, Chelva, Tueja, Domeño, Loriguilla, Calles, Benaxuay, & Benaxeb, & cæterorum Castrorum, & bonorum, quæ fuerunt dicti quondā don Petri Ladró primi Vicecomitis de Vilanova, vna cum vniversis iuribus, & pertinentijs, ac titulis honoribus; ac præheminentijs Comitis, & Vicecomitis respectivè de Sinarques, & Vilanova aliàs de Chelva, amota, quatenus opus sit, dicta D. Maria Anna Ladrò, & Silva, & seu illius curatoribus à detentatione dictorum bonorum, vna cum fructibus perceptis, & qui percipi potuerunt à die litis motæ; dictorum fructuum meliorationum, & creditorum, ac aliorum forsan liquidandorum, liquidatione reservata, non retardata huius sententiæ executione; non obstantibus articulis ad diffinitivam reservatis, & alijs in contrarium deductis, cum de iure non subsistant. Reservatoq, iure cæteris litigantibus, si quod eis respective competit, in alia debita instantia, neutramque partem in expensis condemnamus.

Don Cosmas Gombau Reg.

Vt. Arques.

Vt. Don Gaspar Salvador, & Pardo.

Vt. Don Ioan. Chrysostomus Berenguer de Morales.

Vt. Ripoll.

Publicata fuit huiusmodi Regia sententia per Vincentium Ferrera Militem R. S. M. die 2. September 1666 Instantibus Ioanne Baptista Diez Cive, & Iosepho Salat Not. Procuratoribus respectivè Nobilis D. Francisci Ladrò de Vilanova, & Egregij Comitis de Real, & Villamonte, cæteris partibus citatis, & non comparentibus. Valentiæ, &c.